

seu circuitorum more, tuas, ut antea, mercedes evulgabis, ac per urbem circumferes, verè ciborum paratrix & venditrix. Unde sic eam illicò adhortatur: *Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita: bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.* Id est, quæ priùs cum arte, & quæstu sepulta videbare; cithara & fistris, crotalis, aut fistulis, clarâ atque contentâ voce, tuarum mercium naturam evulga, ut memoriam tui apud multos excites negotiatores. Un pregon, y otro pregon: *Ai quien quiera vino y pan: porque no se olviden de ira tu taverna, comer de tus manjares, y beber de tu vino.* Cujus rei causam reddit: *Et erit post septuaginta annos, Visitabit Dominus Tyrum: & reducet eam ad mercedes, & rursus fornicabitur cum universis regnis:* id est, vendendo escas & vinum cauponabitur, arte sua & labore quæstum faciet. Denique, ut constet hæc omnia ad spiritualem intelligentiam esse transferenda, ut sanctus Hieronymus, & plures alii transferunt, vel Rabini etiam; concludit Vates: *Et erunt negotiationes ejus, & mercedes ejus sanctificate Domino: non condentur, neque reponentur, quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in saturitatem, & vestiantur usque ad vetustatem.* LXX. legunt: *& ejus negotiatio, & merces sancta Domino.* Tigurina: *Sacrosanctæ erunt Domino.* Ubi Vatablus; *Consecrabuntur Christo.* Hic Versus de Christo intelligendus, etiam Hebrais testibus. Sanctus Hieronymus ita: *Mercedes laboris illius nequaquam Tyriis congregentur, sed his, qui habitant in conspectu Domini, comedantque, & bibant, & impleantur omnibus bonis, quæ in convivii latitiam cunctorum fuerint labore collata.* Deinde explicat, quid sit comedere, & bibere, & saturari: *Audient à Domino Salvatore: Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Unde apparet, ex tanti Doctoris mente sermonem apud Isaiam esse de Eucharistico Epulo, cui exornando, venerando, & tuendo Tyrias divitias impendendas prædicat. Rem totam illustro.

Ad spiritua- lem intelli- gentiam re- fertur pro Eucharistia.

LXX.

Tigur. Vatab.

S. Hieron.

Olim Panem, & vinum ad consecrationem Eucharistia: populus offerbat. S. August.

ssidon.

1591 Et erunt negotiationes ejus, & mercedes ejus sanctificate Domino. In usus sacros expendunt panem, & vinum. Panis enim, & vinum, antiquo Ecclesiæ ritu, quæ in corpus, & sanguinem Christi consecrabantur à Sacerdotibus, populus offerebat: ut ait sanctus Augustinus Sermone 215. de Tempore. *Oblationes, quæ in altario consecrantur, offerre. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.* Qua de re multa & eruditè Stephanus Durantus libro 2. de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ capite 26. Has oblationes panis & vini non illicò ponentur in Ecclesia, sed foris in loco ad id assignato, quem Possidonius in Vita sancti Augustini capite 24. vocat gazophylacium, vel secretarium. Postea inferebantur oblationes illæ in Ecclesiam, sed non omnes, sed eorum tantum, qui, facta indagazione, boni Christiani esse reperiebantur: & hæc consecrabantur in corpus, & sanguinem Christi, reliquæ oblationes ibi manebant. Oblationes autem illæ inferebantur coopertæ, ut modò hostia, usque ad tempus oblationis. Ergo, postquam Isaias dixit, illas mercedes panis & vini, escæ & potus Deo offerendas, Christo consecrandas ab ea, quæ meretricio more illas venales evulgabat; sta-

tim addit: *non condentur, neque reponentur.* Id est, non erunt in gazophylacio repositæ, & reconditæ, sed tanquam oblationes personæ dignæ, inculpatæque vitæ, in usus altaris sacros expenduntur, ut consecratæ à sacerdotibus in Christi corpus & sanguinem convertantur, fiatque ex eis divinum Eucharistia epulum. Unde subtextit: *Quia his, qui habitaverint coram Domino; id est, sacerdotibus, ut Chaldaeus, & alii explicant) Chaldæ. erit negotiatio ejus (id est, panis & vini oblatio, in quibus negociabatur) ut manducent in saturitatem. LXX. vertunt: omnis negotiatio ejus comedere, & bibere.*

1592 Concludit Vates: *& vestiantur usque ad vetustatem.* Chaldaeus effert, *& vestiantur vestimentis gloriæ.* Sic appellat vestes sacerdotales, quibus induuntur Sacerdotes ad peragendum Missæ sacrum, cum intuitu ad vestimenta sacerdotalia Hebræorum Pontificum, de quibus Exod. 28. vers. 2. *Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.* Hebraicè pro vestiantur usque ad vetustatem, est, *ad operimentum durable:* ut nunquam sacerdotibus desit operimentum. Forerius aliter ex Hebræo vertit: *Erit negotiatio ejus ad comedendum ad saturitatem, & ad contributionem, seu collationem, seu collationem durablem, quæ non exhauriatur, sed semper habeant unde eis necessaria suppeditentur.* *Estas oblationes de pan y vino seran censo perpetuo en la Iglesia tributo que se deve rendir a la Eucaristia.* Unde Missa perinde est nonnullis atque tributum, census, vestigal, à nomine Hebræo Mas, id significante. Vide Durantum libro 2. capite 1. Matthiam Martin. in suo lexico Philologico, verbo Missa. LXX. Interpretes aliter, sed opportunius ad rem nostram efferunt: *Omnis negotiatio ejus comedere & bibere, & impleri in symbolum, memoria coram Domino.* Quid pro Eucharistia mysterio luculentius? Sanè ad Eucharisticum convivium corporis & sanguinis Christi respexisse LXX. Seniores, indubium videtur. Eucharistia enim symbolum est, si- Eucharistia gnum nempe, quod memoria extat coram symbolum appellatur. Domino, qui apud Lucam capite 22. vers. Luc. 22. 19. monet: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Psalm. 110. vers. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum: Escam dedit timentibus se.* Et quia ab Ecclesiæ exordio in Missæ celebratione semper aliquot Eucharistia particule asservabantur velo coopertæ seu intra velum, fortè ad hoc alludens Isaias dixit: *ut vestiantur usque ad vetustatem, vel ad operimentum durable;* id est, ut velo coopertæ reponantur in perpetuum: ut illud vestiantur non ad sacerdotes, sed ad merces seu oblationes panis & vini referatur.

1593 His igitur fusè statutis, ut par erat in nova perplexi Vaticanii enodatione, re- commendatur vetus Hispania studium in Eucharistiam. deo ad nostram Hispaniam, nobilem Tyrum sive mysticam, sive propriam; quia Tyriorum colonia. Etenim, si verus, si ingens, si tenax Hispaniensis Ecclesiæ pietas in augustissimum Eucharistia mysterium; si cultus, quo sacrosancta mysteria gravissimè in ea peraguntur; si templa ob magnitudinem amplissima, & illustrissima ob splendorem; si divitiæ in sacros usus, ministrorumque Dei cultum, victumque incredibili munificentia impensæ; si abundantissima Ecclesiarum

Chaldæ.

Chaldæ.

Exo. 28. 2.

B)

Eucharistia

symbolum

appellatur.

Luc. 22. 19.

Pf. 110. 4.

Memoriam

fecit mirabilium

suorum: Escam

dedit timentibus

se. Et quia ab

Ecclesiæ exordio

in Missæ celebra-

tione semper ali-

quot Eucharistia

particule asserva-

bantur velo coop-

ertæ seu intra ve-

lum, fortè ad hoc

alludens Isaias

dixit: ut vestiantur

usque ad vetustatem,

vel ad operimentum

durable; id est, ut

velo coopertæ

reponantur in per-

petuum: ut illud

vestiantur non ad

sacerdotes, sed ad

merces seu obla-

tionem panis & vini

referatur.

rum supellex in vasis, amictuque sacro resplendens; si multitudo cælesti mensæ accumbentium, & assidentium; si crebræ celebritates huic divino epulo sacratæ publico & prædivite, & apparatusissimo theatro; si anniversaria, summaque Corporis Christi precaria pompa, quæ per rectas vias magnificè exornatas sacra mitissimi agni Hostia in sacrarium totum ex argento factum inclusa deducitur, non absque ingenti comitatu omnis ordinis ac generis virorum illustrium, non absque cymbalorum excitato pulsu, tibarum sonitu, & vocibus cantorum suavissimè concinentium; non absque lucernarum, funaliumque accensorum multitudine; choreis numerosè ductis, & festivis saltantium saltationibus; nec non incredibili totius populi concursu ad venerandam, adorandamque tanti Domini majestatem. Etenim si hæc omnia attentius expendantur, nemo erit cordatus vir Biblicè peritus, qui extricatum jam Isaiæ vaticinium in Hispaniensem Ecclesiam, nobilissimam Tyriorum filiam, bellissimè & signatissimè cadere, non fateatur. Ipsa ipsa est, quæ ad instar cauponæ Tyriæ, solemnè cantu, & musico instrumentum publicè venales proponit, & per vias publicas clarâ & contentâ voce evulgat Eucharistici panis & vini mercedes: *Omnis sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.* Isai. 55. vers. 1. Ipsa ipsa est, quæ per Apostolos instaurata revocavit ad se nova terræ regna ad societatem mercium Dominici panis & vini. Ipsa ipsa est, quæ divitias suas in usus sacros largissimè confert, in cultum & victum eorum; quos sibi Dominus ad sacrum designavit ministerium: in augustamque Eucharistici sacrificii & epuli venerationem, & ornatum. Ipsa ipsa est, cujus omnis negotiatio comedere, & bibere, & impleri in symbolum, memoria coram Domino.

Isai. 55. 1.

In Caio Cornelio Centurione Hispano præsignata Hispanorum pietas in Eucharistiam. Match. 8. 6.

S. Basil. Seleuc.

S. Chryf.

1594 Denique, gaudent Hispani hac in aliam Eucharistiam pietate quasi hæreditario jure acceptâ à Caio Cornelio Centurione Capharnaunensi, qui, ut supra ex Dextro & aliis statuimus, Hispaniensis fuit, & patria Malacitanus, cujus filius erat Cajus Oppius Centurio, qui Jerosolymis degebat, & Christum è Cruce pendentem agnovit & glorificavit. Atqui, Centurio ille fide potius quàm arte medicâ armatus Jesum adit, Christum supplex rogat, ut sanitatem servo paralytico in domo jacenti faciat. *Et ait illi Jesus: Ego veniam, & curabo eum.* Quid igitur ad hæc Centurio? *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbum, & sanabitur puer meus.* De solo absentis Jesu verbo sperat servi morbum depellere. Eximia hæc Hispani Centurionis fides, quum non tantum summis Ecclesiæ Doctoribus, sed ipsi Domino extitit ad miraculum. *Audienti autem Jesus, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Super quibus verbis Basilus Seleucus Orat. 19. *Unicus Gentilis supra totam Judæorum multitudinem sese extulit. Esto gentilis (hominis) discipulus.* Et sanctus Chrylogus Sermone 15. *Centurio dux factus est militia Christiana, & merito, quia ante cepit docere,*

quàm credere. Sed quid, quæso, docuit tantus fidei magister? Opinor quidem eo Centurionis factò quidpiam adumbratum Eucharistici Sacramenti; & illo Christi in Centurionis ædes ingressu, ejusdem Christi sub panis & vini latentis speciebus, in fidelium pectora illapsum repræsentari. Sic Origenes existimabat Homil. 5. de Diversis. *Sed & hoc (ait) nullum nostrum pertranseat sicut pusillum aliquid, quod dixit iste Centurio: Non sum dignus ut sub tectum meum intres. Intrat & nunc Dominus sub tectum credentium, quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum; quando vitæ panem, & poculo frueris, manducas, & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.* Et tu ergo humilians te metipsum, imitate hunc Centurionem, dicit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Favet Ecclesia universalis, quæ hac utitur formula quoties ad sacram mensam accedimus. Ut enim quæ par est fide, cultu, pietate, & animi demissione Eucharistiam suscipiamus, unius Hispani Centurionis nos instruit magisterio. In quo sanè prælucebat jam exinceps eximia Hispanorum fides, veneratio, & pietas in Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum, summum Christianæ fidei mysterium.

Origen.

Moralis illustratio.

SECTIO XXX.

Ille, in quo Virtus alias egit radices, unum se reputet ex prædestinatis ad æternam felicitatem.

1595 ET radicari in Populo honorificato, sive illustri, ajebat de se corporata Sapientia. Certè, si ad mores hanc revocemus radicationem, *Populus honorificatus, seu illustris, erunt electi ad gloriam, juxta illud Psalm. 138. Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Quo etiam sensu eidem Incarnatæ Sapientiæ dictum à Patre fuit supra vers. 13. *In electis meis mitte radices.* Dum enim Christianæ Virtutes in animis fidelium altas radices agunt, iteratis crebrò actibus, in illis Christus radicari dicitur uti in honorificato & illustri electorum suorum populo. Jure igitur tete reputes unum ex prædestinatis ad gloriam, si usque adeò vehementer firmatam, stabilitamque experiaris in te Virtutem, ut nullus eam sternere possit rei adversæ status. Caveat sibi, qui viriliter pius non est, sed muliebriter impius; cui virtus sæpè nutans, infirma, temporalis; caveat ne sit ex reproborum grege. Sibi gaudeat de faustissimo æternæ felicitatis augurio, qui viriliter, qui constanter incumbit Virtutis negotio, & pietatis proposito. Hinc illud Salomonis Proverbiorum 12. vers. 3. *Non roborabitur homo ex impietate, & radix justorum non commovebitur.* LXX. Roman. LXX. *Non prosperabitur homo ex iniquo; radices autem justorum non auferentur.* Quasi dicat: Impietas, etsi diu inoluta, non stabilem, non firmum reddit impium, sed adeò instabilem & infirmum, ut in mala multa incidat, evertatur, & evellatur: at verò virtus, justitia & probitas justos Dei electos stabili- & firmat, dum ipsa stabilita & firmata in

Pf. 138.

Prov. 12. 3.